



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

IV. Non licere coram catechumenis clericos fieri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

I.

De eo quod oportet secundum Ecclesiasticum Canonem, eos qui libere & legitime secundo nuptiis connexi sunt, nec occultam permixtionem operati sunt, pauco tempore exempto, vacare orationibus & ieiuniis, & secundum veniam reddi eis communionem.

II.

His qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, confessioni ac pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conuersionem demonstrantes, pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus tribuendum est: propter misericordiam & bonitatem Dei, qui huiusmodi sunt, reuocandi & ad communionem sunt applicandi.

III.

Non oportet neophytum promoueri ad ordinem sacerdotalem.

IV.

Non licere manus impositionem super ordinandos præsentibus catechumenis fieri.

V.

Non licere fenerari ministris altaris, vel in sacerdotali ordine constitutis, vel vsuras vel lucra, quæ fescupla dicuntur, accipere.

VI.

Non concedendum hæreticis ingressum domus Dei, in hæresi permanentibus.

VII.

Nouatianos, vel etiam Quartodecimanos, quos Græci Tessaradecatites appellant, id est, qui quar-